..., cum
re, & Corpus
ns, cum
Evang.
In ... Epiph.
com.
... sequ
com.
27 Sabb.



[redacted]


10 / 15 C / 15
10
50
50

Das gesammelten
und nicht fort-
gesetzen




AQVILA IOANNELLIANA

Gentilitio PALOCZAYANI Sanguinis
ASSOCIATA GRYPHO:
ET AD FESTA NUPTIALIA,
ILLVSTRISSIMI DOMINI,
IOSEPHI ANDREÆ
JOANNELLI,
LIBERI BARONIS, IN ARCE DUNAWETZ,
ET ZYPPOW, &c. DOMINI.



LECTISSIMÆ VIRGINIS AC SPONSÆ,
ELISABETHÆ PALOCZAY
Illustrissimæ Dominæ Comitissæ
IVDITHÆ KAROLY
(Illmi olim D. STEPHANI PALOCZAY
Liberi Baronis, Inclyti Regni Hungariæ Magnatis,
Sac: Cæsareæ, Regiæq; Majestatis Dapiferi,)
Relictæ Viduæ
Dilectissimæ Filiæ,
EPITHALAMICA PANEGYRI



M. ANDREA STANISLAO BUCHOWSKI,
In Alma Vniuersitate Cracouien, Philosophiæ Doctore & Professore,
CELEBRATA.
Anno Salutis, 1685.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

IN GENTILITIA ILLUSTRISSIMORUM NEO-SPONSORUM STEMMATA.



*Æ*LIGER *expanſis ſurſum volat æthera pennis*
Iaſonis atq; fretum NAVIS *amica ſecat.*
Quo geminæ VOLUCRES? *ſeruantur Vellera Colchis:*
Et Iouis armipotens aſtra Miniſter habet:
Aurea ſed GRYPHI *præſentat fama Coronam*
Aliger hanc SPONSI *quærit & optat amor.*

ILLVSTRISSIME DNE BARO AC SPONSE.



AD Epithalamicos plauſus Tuos, venit etiam AQVILA virtutum & Proſapiæ Tuæ interpres, non quidem è collibus, & alienis faſtigiis deducta, ſed ex domeſtico gloriæ Tuæ culmine; quod meritis & fama Anteceſſorum Tuorũ eſt ſublime. Grande illi monumentum es, ex generoſa Tua Indole, quam magno naturæ inſtinctu loqueris, ad Nominis Tui commendationem; tunc tamen maximum Te oſtendis: quando inter hæc gaudiorum Tuorum teſtimonia, alibi etiam pennatam famam prærequiris. Habet eandem amplitudo magni Sanguinis Tui, tantæ Proſapiæ aſſociata, in ampliſſimis meritis, habet & in Gentilitijs Alitibus auſpicaciſſimam: quid reliquum eſt, tantam Vinculi huius panegyrim, quis meliùs vnquam orbi loqui poterit; quàm Tuus magnæ gloriæ auſpex Ales. Permittes tamen & meum calamum, quem in animi Tui cenſum & ſtudij obſequium vectigalem habes, in Tuam ire venerationem; illudq́; poſte-

ræ memoriæ notare, quod, Alitem Tuum locutum audiuit. Etsi alta Tua fastigia, in quibus AQVILAM Gentilitiam & GRYPHVM PALOCZAYANI Sanguinis, plaudentibus tot animorū votis collocasti, si summam Sanguinis Tui prærogatiuam in excelso maiorum Tuorum apice positā non satis edixero: sit fauor Tuæ solitæ gratiæ in reliquum gloriæ emolumentum, sit & in operis coronidem, quam à Cordis Tui corona Sponsa nimirum Illustrissima, habes coronatam. Meum autem vt votorū, sic & proni animi testimoniū in supplementum laboris, ita sinceri pectoris & obsequiorum testatur candorem; vt connubiū hoc, quod nexu tanti Sanguinis iniuisti, cedat Tibi in rem prosperam, vitæ successum felicissimum & famam omni seculo duraturam, quam cum perenni Nominis Tui gloria ex his etiā Gentilitijs ILLVSTRISSIMARVM Parentum superstitum, IVDITHÆ, celsissimo NISO, CATHARINÆ, prosperrimis ANCHORIS habes auspicatam. Ita à Supremo cœli Numine precatur.

ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONI TVÆ,

Obsequentissimus seruus,

M. ANDREAS STANISLAVS BUCHOWSKI,
Philosophiæ Doctor & Professor.

AQUILA IOANNELLIANA Gentilitio PALOCZAYANI Sanguinis ASSOCIATA GRYPHO.



Enari mentes generoſas, & indolem humanam, in ſtabilem magnificæ conditionis vſum vocare, magna, cùm ſæpe laboris ardui ſollicitudo ſit; ſolennibus autem præſagijs inueſtigata, ſemper gaudiorum Portio eſt & habetur. Experimentum hoc ſolenne, & præclara, conſuetudinis huius obſeruatio, vltra omnem, campi nemorumq; exporrectam iucunditatem, quamuis maxima ſtudij rigoroſi aliquando incitamenta, & quidquid ſollicitudinis habet, aliquoties per plurima, errantium voluntatum ſtadia, per denſos & fallaces Libertatis circuitus, proponat: exhilarat tamen inueſtigantem Patriæ curā, atq; iubet & mandat non niſi captu animorū eſſe gaudendū. Prædam talem, Patriæ vtiliſſimā, & incōparabiles boni publici fructus, Magnorū ſcilicet animos, quis non in exuberantem læticiam, in plenum, gaudijs vultum cuperet ad delectationem? quibus ad gloriam & ætatum ſæcula, ſolæ nutriuntur Virtutes, conſtantes & auguſtæ Rerumpublicarum prærogatiuæ, plurimæ ſtatuum Magnificentiæ, ſeruantur augenturq; ad perennitatem. Hæc tamen decora, capere & habere in commune Patriæ bonum, quoties etiam ab antiquo rerum progreſſu, Nobilis, magnorum Virorum propago, emolumento probauit, quoties ampliſſima etiam quaq;-verſus ſpatia circumire & ſtringere ſucceſſibus incepit; cœpit ſpectatiſſima; quando generoſis mentibus ſocium animorum nexum perſuaſit. Magnum quippe eſt, trahi vnitis mentibus, iuncto robore teneri, & amicitiæ vinculis vinciri: ita vt etiā fortiſſima Herculis opinio contra vnitos fallatur, nec contra Gordios nodos, plures Alexandri habeantur. Vnde etenim eſt?

quod lætioribus impulsi præsagijs, læta circumspiciant alij? frontibus demissis, trista meditentur alij: nisi quod socia spes animorum, hos erigat in gaudia, illos deprimat in tristem animi rigorē. Exhilarata ex vnitis Ciuium animis, aurea illa Regnorum Maiestas Hungaria, & à tanto annorum spatio, ab hostibus deprædata, iterum se se, triumphalibus Laureis ornat; quod generosas mentes, felicissimo prosperitatis successu excitatas habeat ad vnanimitatem: Nimirum, quantùm antea doluit ex aurei Regni turpissima facie; tantùm nunc lætatur ex eius speciosissimis triumphis: cùm & ex vinculis animorum ad summam famam deductis, perennitatis custos gloria quæri debeat, & tot magnanimorum conatuum vnanimi nexu ad copulam ligari. Crescunt proinde AQUILæ, & ad summa virtutū fastigia euolant, Alites magnarum Alarum non tantum aucupantur amoribus; at etiā ad celsissimos quoq; volatus, trahunt & animant, vt Patriæ in Prædā gloriosam congregentur. Quanta vis & læticiæ magnitudo! ab Auibus ipsis habere dulcissimos effectus! sine solicitudine, ea habere quæ delectent & ornent! vltro in emolumentū gloriæ, Aues habere felicissimas! Pulchrum Patriæ delectamentum est, & sublime præsagium! Euolant siquidem AQUILæ, & ad pulcherrima rerum fastigia procedunt, ne decedant; crescunt vt nō decrescant: at naturali edoctæ impulsu illuc feruntur; vbi socias maximæ eminentiæ Volueres habere possunt, altumq; cupiunt, vt ab altiori culmine, quæ deceant acutiùs cernant. Intendit hoc & facit Magnus Tuus animus, præstantissimis Maiorum meritis insignitus, & propria Virtute Tua Magnificus ILLVSTRISSIME SPONSE, quando excellentes animi Tui dotes, & optimam indolis generosæ prærogatiuam, in socium celsissimarum virtutum vocasti vinculū, quando & Gentilitiam AQUILAM Tuam, summâ dexteritate agendi pernicissimam, Laudatissimo tot Heroum GRYPHO associasti. Tanta Sanguinis & meritorum Vnio, quàm & quantam gaudiorum portionem Patriæ ferat? supra omnem dicendi facultatem positum est; quantum & quàm excellens vnito Nomini auspicium, (quod è Binarum Alitum æstimatione oritur) bono publico felicissimè ominetur? nemo tam disertus Arpinas est, qui id summâ eloquentiâ assequi posset; quantam deniq; populari auræ, læticiæ oc-

casio-

casionem attulerit; Omnis penes Te & virtutem Tuam opinio,& omne penes Gentilitia Tua decora augurium est. Danda proinde felicitatis huius æstimationi, Gloria hæc, vt se ad sæcula extendat, & gratias iucundissimas in ætatis cursum vocet, quibus tantorum Sponsorum gloriosa coniunctio, nihil aliud preseferre videtur; nisi vt in amorem Patriæ & boni publici Decus, Tanto Sanguinis Vinculo consentiat, & publicæ læticiæ gaudia ferat coronata. Gloria thalami huius eat inclyto Regno,etiam inter nouos successuum applausus, sequentis æui intelligentiæ reuelata, præsentis, communicatione gaudij, & cum augmento meritorum crescat in Patriæ emolumentum quod vlteriori, tantæ Sobolis felicitati,ab his solennibus Epithalamicis gaudijs ceptæ, sub Gentilitijs mihi liceat Auibus auspicari.

Principes alitũ,& Duces Aquilæ,eminentisNaturæ incitatæ stimulis, generosis enutritæ ausibus,cum vilissimo volucrum numero pro decore habent conuersari & ijsdẽ associari. Pudet sæpe feroces has cum imbelli columba fœdera inire, quæ vt indole posterior & ab Aquilarũ generosissimo impulsu longè remota est; ita dignitatẽ illi summam facile concedit, cuius in certamen nunquam descendere audet. Custos Ales ille Iouialium fulminum, & supremæ potestatis Antesignanus, an Majestatem suam, cum Auibus Deæ Idaliæ collocabit? an excellentiam famæ, Avium bellatrix AQVILA spectata hactenùs semper in sublimi culmine, linquet noctuis? quæ, dum cessit in augusta imperiorum fastigia, & in tot sublimia Regnorum, Prouinciarumq; decora, siue commendatione aucta ad celsitudinem, siue pretio adorata ad æstimationem; omnium semper ora animosq; attonitos habere credebatur. Vidimus, & audiuimus, victricibus signis, ad sydera vsq; euehi Aquilas, laurusq; triumphales, in perennaturam gloriam gestantes; quando vel fortissimis vnitæ Leonibus, vel bellicosisisimis associatæ Alitibus, non semel superba Othomanicæ Lunæ cornua, pugnacissimâ virtute contriuerunt, belluasq; Bysantinas ad Propontidis vndas vt mergerentur, pepulerunt. Audiuimus pulsantes æthera pennis sociatas Aquilas, ad augustissimas Austriæ rippas, contra multiplicem Orientalem Hydram (cui si hactenus caput Prouinciæ Martius amputauerat ensis, nouæ Regiones, Bellonæ partu accreueruut)

 assurre-

assurrexisse, ab ijsdéq; generosissimis vnguibus, laceratam Bestiam, in æuiternum ludibriorum & pudoris sui compulsam antrum, ad interitum perterrefactam, semper quid Aquilæ valeant, agnouisse. Augusta Bicollis Sac: Rom. Imperij, Orientis terror, Occidentis Maiestas, Orbis Christiani gloria, tot barbararum gentium infensas & oblatrantes turmas gloriosissimo robore profligauit; quot victorijs & triumphis semper augustiores Pennas erigens, Imperatoriæ Maiestati, vt supplices fierent, maleuolorum ceruices fortiter inclinauit. Polona AQVILA etiam ad seueriorem hostium cladem pugnacissima, triumphans semper, triumphata nunquam, candida inter Martios pulueres, quot pullos in Christianitatis defensionem Marte nutriuit; tot gloriæ, ære quolibet perenniora trophea, ab Orbe habet sibi decreta. Quid aliæ Prouinciarum familiarũq; pernicissimæ Aquilæ! quæ dum perspicacissimis oculis, Solem, publici honoris limpidissimum intuentur; alios ad summa decora euocant, alios ad Pontificias Tiaras, Senatorum subsellia, Heroum clauas, enutriunt educanque. Par tantæ Aliti, ex nominis commendatione, celebre illud ferarũ Miraculũ, GRYPHVS; non tantum pro Rostris; at etiam pro summis Rerumpublicarum agendis causis, rostra habens; alas ad velocissima, rerum agendarum negotiâ gestans, nunquam sine gloria commendatione esse potuit: quia semper plurimarum gentium vires, in lugubrem terrorem per mutatas, lætissimam sui nominis habuit panegyrim. Nam vt magnam opinionis præstantiam, in maximos huculq; ausus præsentat; ita gloriæ quoque sublimes apices transuolat vt suas vices ad alta quoq; molimina magno naturæ instinctu efferat. Huic tantæ Stemmatũ Vnioni, alternus animus vester, an paritatem quæsiuerit? an fortuna inuenerit? habetis quid meditemini, tantis Insigniti Auibus SPONSI ILLVSTRISSIMI. Si enim excellens ille Vester conatus, eum rei successum postulauit; quem omnium vota, suis desideriorum suspirijs mouebant ad felicitatis iter, quod iam progredi incepistis; digna hæc gaudijs & magnifica, optimi statûs conditione progressio est; nimirum, vt ad alta nati animi, altis nutriantur cogitationibus, & magnorum virorum excellentia, generosis associetur mentibus: Si fortunæ fauor alterutros Vos, in tales duxit Gratias? quas Nexu hoc celebrato veluti Heliconis deli-

cio

cio circumſepti habetis ? magnorum hæc prærogatiua eſt, vtpote virtuoſiſſimis Viris, vſitata Sors, quam maxima *fata ſecundant,*

Et virtus rara eſt quam non fortuna gubernat.

Sic ab vtrinq; Magni æſtimati, plus tamen à Virtutibus Veſtris excellentiſſimi facti eſtis; quod tantum & tam illuſtre, mutui amoris elegeritis conſortium, illud Proſapiæ & magni Sanguinis adamaueritis vinculum, eam inieritis meritorum & nominis ſocietatem; quæ, cùm ex ipſa ſui dignitate laudatiſſima ſit: prouocat tamen multorum animos & ingenia, in ſuam venerationem. Quid enim in virtutibus Veſtris, aut Maiorum Veſtrorum glorioſiſſimè relictis teſtimonijs eſt; quod non, vel ad boni publici gloriam audiatur, in certiſſimis hominum traditionibus ? vel nō ad ſæculorum memoriam præſentetur in annalibus ? in quibus præclara Stemmata, veluti imagines quædam, Veſtram à poſteris adumbratam indolem præſentantes, non tantum à pictis Maiorum vultibus; at etiam certiſſimis meritorum lineamentis legi videriq; poſſunt. Inde cenſentur longo ſanguine, ad ſumma gloriæ faſtigia, prouecti Magni Heroes, in Martio campo ſtabiles famâ, & inuicti Marcelli, in publicis Regni theatris, facundi Demoſthenes, in maximis externorum negotiorum cauſis, dexterrimi Pompilij, domi, ad conſilia circumſpecti Iani, omnes deniq; pro Aris & focis Curtij, quorum omnem memoriam, ita in geſtientium animorum lætitiam & gratiam præſentatis; vt Anteceſſorum Veſtrorum ideam, in generoſam ſtirpem & famam Veſtram, tranſportatam hoc Vinculo, credamus & veneremur.

Tuæ inprimis Proſapiæ & Nomini, cedunt adoreæ hæ, Magni Sanguinis Succeſſor, virtutum meritis ampliſsime, SPONSE ILLVSTRISSIME, quando viuam imaginem, glorioſam ſcilicet AQVILAM Anteceſſorum Tuorum, in natiuo Tuo animo præſentas, & magnum Tuum ſpiritum, in generoſæ mentis effers ſpectaculum. Ab auibus auſpicari gratioſum fuit antiquitùs, etiam iis, quorum virtus, majorum beneficio, omnem ſpem felicitatis accepit; etiam iis, quorum humilis animus ſolâ fucatâ hominum opinione deſpectus eſt: vtrisque licet fatorum cura fuit, primis tamen, omnis ſpes felicitatis, in vota ceſsit; veneruntque fortunata incitamenta, tam animis quàm votis in

C effectum.

effectum. Sic etenim eſt: dotes ſuas fortunæ, raro fata concedunt illis; quos virtus majorum, non promouit; fidunt dignioribus, qui publicis encomiorum ſuffragijs in publicum diteſcunt. Conexus quippe Ordo ſucceſſuûm hic eſt; vt à magnis magna, benè properatis bona, benè ordinatis felicia ſuccedant. Nimirùm vt à ſemine bono largiſsimas ſequi ariſtas vſitatum eſt, frugemque opimam à terræ fertilitate; ſic ſuas enutriunt fata virtutes, præcedentes ſubſecuturas. Sequeris Magni Parentis genuina Proles, illius Achillis relicta Soboles, vnico hoc ductu, Tanti Patris fortunatiſſime; quia à tot mille votis, & fortunatis deſiderijs expectate. Portaris diuino quodam impetu ad ſumma quæque, atque à natiuo ſpiritu ad alta peragenda munera vocaris; vt merito Te aliquid, etiam naturæ, etiam origini debere profitearis; quùm Te ſemper Magnum Virtus Tua probet; majorem omnium deſideria videre exoptant. Nam à Magnis Parentibus vix lucem aſpexiſti, jam ad ſplendores Patriæ, veluti Aquilæ Pullus euocatus fuiſti; vt lucem rerum, & rectè factorum claritatem, vnde veniat, perſpiceres: vix auram ſpiritûs & vitæ delicium perſpexiſti; iam immenſum iter, quod gloria parat, Parentum paſſibus circumiuiſti, qualiter percurreres; vix ſapere cœpiſti; iam imperterriti Patris, in Cæſarem conſtantiam, adamaſti & recepiſti; vt teneram ætatem Tuam, non molliter, verùm inter graues ſolicitudines, & periculoſos vitæ turbines edoceres; *fatales rerum Caſus, ſemper feliciũ temporũ recordatione, feliciores eſſe.* Toties Patri dulciſſimo nocturnis diurniſq; vigilijs, perſpectâ vigilantiâ adeſſe; accenſum Martem per ferrum, & igneos pulueres luctari, aureæq; Tuæ indolis præſtantiam probare, inter feroces, hoſtium auſus conſtanter cum Patre audere, raro quietis repagula quærere, curis non niſi educari; vt virtutem Tuam prius à grauioribus inſtrueres ad grauiora, hic labor hoc opus fuit. Fremebat non ſemel Inuidia, boni comes, vt virtutem ad magna natam roderet, maleuolorumq; liuor, intra occultos paſſus compreſſum ſubtraxit vultum; vt innocentes Patriæ animos exanimaret: huic ſed optimè armata fidelitas, fronſq; recti fortiter reſtitit vt indignabundo auſu falleretur, & cùm toties ſeruatrice, ciuium in Patriam conſtantiâ propulſus eſſet; auditum illud ſæpius, quod è col-

lium

lium veluti concauis antris Echo loquebatur; o si spem Tuam, & Patris virtutem fatali exitu perdere valerem? auderem. Ardor liuoris ille temerarius & perfidus, iam à tenera adhuc ætate & innocente vitæ stadio, pretium virtutis in Te augurabatur, flagrabatq; inuidiæ accensus ausibus iam Tui æstimationem perdere; quam interim quærere incepisti. Ita enim est, quoties labor & solicitudo arduo passu, vias, quibus delectetur quærit: toties vagabundæ indignationis tædium, & impedimentum experitur, patiturq; sæpius fessos animos; quos virtus incitârat. Sicut solem vmbra, sic fortunam comitatur inuidia; vbi ignis, ibi fumus; vbi excubiæ, ibi hostis!. Serpebat malum hoc, cuiq; bono pessimum & execrandum, dum Calligulæ, Torquatos sine torquibus, Sempronij, sine gloria Marcos Attilios, Alexandri, sine bellandi peritia Lisimachos, Clodij sine magnanimitate Pōpeios infestârūt; & adeo ad hāc vsq; ætatem, pestis hæc inualuit: vt omnes rerum, statuûmq; caussas adhuc inficiat præter miserias. Euenit tamen toties, quod ad inuidiam, suos amplient stimulos, beatioribus euentibus, fortunati animi; sicut & ferrum, quod rubigine roditur, aliquando acrius & subtilius fit, aurum quod luto inculcatur, clarius splendet. Experta rem gloria & amplitudo Fortunati Nominis ILLUSTRISSIMI olim Domini BARONIS SYLVESTRI IOANNELLI, Inclytæ Cameræ Scepusiensis Administratoris, Sac: Cæsareæ Regiæq; Maiestatis Consiliarij Patris Tui, inter ardua vitæ pericula & prosperos laborum pro Patria successus, etiam à Liuore adorata. Magnus hic Regni Ciuis, virtute & studio, Hæros animo & pectore, zelosissimus illius Censor pro *Aris & focis*, ab inuidia etiam creuit in famam & merita; vt nunquam decrescere posset; quibus posteritatem in recte factis, & acquisiuit, & præoccupauit. Primum illius studium & cura fuerat, inter continuas, hæretici erroris scintillas, ardere zelo, illoq; alios accendere; inter vitia, virtute certare, hâc Deo, tot rebelles animos & animas in manubias ferre & ligare; quot Somolnokini, fodinarum æris possessor inuenerat, & alibi intellexerat; ita vt nulla dies sine linea præteriret; quæ non bono aliquo effectu notaretur. Æs quippè fodit ille; sed auri pretium inuenit: cujus æstimatio fuit, succurrere egenis, alios, Patriæ conciues fortunâ laborantes di-

 tare,

tare, & animare in ſpem beatam, Eccleſias, Noſocomiaq; erigere & reſtaurare; Altaria, ſacrâ ſupellectili ornare, Auguſtiſſimo Imperatori intemeratæ fidei conſtantiam teſtari; quæ omnia, tantùm orbi valuerunt ad commendationem; vt æs in aurum, aurum in virtutem, quâ nihil carius eſt, mutatum, etiam inuidia crederet. Sed impaccatus liuor, nondum adhuc paccari potuit: quin ſe in vehementiorem animi æſtum effunderet, & Rebellium Gradivum animaret; vt hæc, tanti Viri præſtantiſſima virtus exanimaretur. Probauit inſultus igneos, ad Arcem illius Dunawetz quinque Septimanarum ſpatio: ſed agnouit Mars Diomedem; ex cujus animi magnitudine, didicit, conſtantes Patriæ Cives nec ignibus, nec Armis demoueri poſſe. Tanti Patris genuina Soboles, quia iisdem Virtutibus enutrite, SPONSE ILLVSTRISSIME, ſi in Coronamentum laudis, & Patriæ ſpem nihil interim habeat Tua dignitas & Gloria, ſufficiat mihi Tanti Achillis Pyrhum verè Te genuinum Filium venerari. Et ſi credere debemus, magnos Natales, tribuere majores, ad virtutem impetus, magnumque eſſe, virtutum ſtimulum, Parentum virtutem.

Scilicet eſt quædam vis rerum in ſemine certa,
Et referunt animos, ſingula quæq; Patrum.

quanto & Tu incitamento traheris, in ſucceſſuram & vlteriorem gloriam! IpſeTibi maximum es Spei publicæ documentum. Non ſatis Tibi fuit domi turbines & moleſtias, quid ſint, noſcere; at etiam quid ſapiat Pax, erudiri. Durum jam noueras, reliquum fuerat, vt Regionum Terrarumq; illud delicium, Italiam noſceres; quatenùs, nimirùm in illo ſanguinis Tui glorioſiſſimo meditulio, impulſus veſtigiis, Nativum ſpiritum, Majorum exemplis imbuendum circumferres. Sic è Patriæ naufragantibus fluctibus, in ſecuriſſimum orbis Pontum nauigaſti, bonis ductoribus, ſummæ laudis GEMELLIS, *Patriæ amore, & Sapientiæ deſiderio*, illuc aſpordandus; vbi gloria Magnæ Proſapiæ Tuæ, origine coronatur. Tenera illa Inſignia, teneram ætatem Tuam in gratias duxerunt, vt quo ires, omnium amorem haberes; habito tamen vbique, plus Tuum Patriæ, quàm aliorum Tui amorem æſtimaſti, vel ideo; vt veluti Iaſonis inſtinctu, Aureum Vellus,

Ante-

Antecessorum Tuorum merita, Natiuæ Patriæ in Tuo animo reportares & repræsentares. Prius tamen Palladis & Mineruæ Oracula didicisti, hæc liberis mentibus, illa liberis spiritibus æstimanda, & cum vtrisque omnes alios antecellere cœpisti, ad altiora munera, grauioribus laboribus peragenda Tuum animum Fortuna euocauit. Hâc Duce, publicis actuum splendoribus adesse, sæpius pergraues in consiliis audire Catones, quid collecta Heroum Principumuè munera, pro Patria valeant, auscultari, Tuo animo visui & desiderio continuum habebas. Sed heu fatum! an Fortuna! dolor hucusq; in causa certauit; scilicet talia cùm ageres; egit & Libithina sed nefarios ausus suos, quibus Illustrissimum Parentem Tuum in summa gloria positum, obitu dolentissimo peremit: an, vt Te ab incepto animo, rerum agendarum retraheret? an vt Tanti Patris iter ad gloriam, Tu nisi perficeres? Sors dubium proposuit; at Heroica intentio Tua, natiuo spiritu verè imperterritum Te probauit: quando felicibus ausibus, eò velociùs NAVIGIVM Tuum impulisti, quò securiùs, clauso intùs dolore, Domum Tuam bene ceptis consolari voluisti. Stetit Nauigium hoc in Augustissimo Austriæ flumine, ab Austro pulsum; cuius littora, victrices nuper iterum Laurus ornauêre, Augustissimo LEOPOLDO I. Romanorum Imperatori, relictam sobolem vt commendaret: sed & Nouisti Clementiam augustam, commendatione literarũ Serenissimi ac Inuictissimi Principis IOANNIS III. Poloniarum Regis, virtutem magni Patris Tui, honorificè præmiandam esse. Venisti tandem in tripudiantes Sarmatiæ oras, Nauimq; Tuam Gentilitiam extensis virtutum Tuarum velis illuc promouisti, vbi ex ILLUSTRISSIMÆ Parentis Tuæ Anchoris Gentilitijs, fulciri ad perennitatem maximè possit. Optimus hic vitæ progressus est, quem spes iuuat & ostendit, summa felicitas, quam post fessas sæpe curas Nauita, ex fluctuum vndis ad littora habet; nihilq; dulciùs est, quàm securitas vitæ & laborum: Hanc, & hos optimis accepisti præsagijs, relictis vbiq; virtutum vestigijs: Et quomodo continuabis? licet auguriũ ex Gentilitijs Tuis Insignibus non haberes; Orbem ex Antecessorum meritis & sanguinis commendatione testem habes. Ingens sollicitudo & laboriosæ intentionis desiderium, cogit sæpe non nullos, ter-

ras ha-

ras habere in notitia, illarumq; quibus gaudeant & honorentur ſcire in hominibus prærogatiuas; quas tamen, raro quis in ſuas delicias tulit; licet glorioſiſſimo effectu, cum Columbo & Piſardo, orbem ſit dimenſus. Quid enim iucundiùs vel ad vitæ famam gloriosùs eſt? quàm vel viſa dicere, vel audita narrare! quæ certè quemquam tum non poſtremè commendant, cùm adſtantium animos ſtupore in ſe, attonitos trahunt. Tales habes ante Te in Nominis Tui Panegyrim, quos vel ILLVSTRISSIMA Domus IOANNELLIANA plenis vbiq; ſignis meritorum, ſibi deditos habet, quos, vel ſola Nominis fama perſtrinxit. Et inquæ terrarum decora incitârunt alios AQVILÆ, in illa Te GENTILITIA Tua proſperrimè aſportauit; in quod Gloriæ iter duxerunt alios; in id Te inuitauit, ſola commendatione ſanguinis; quam Italæ Germanicæ Sarmaticæ oræ reddunt commendatiorem. Nam ſi vellem Conſanguineos ſplendores Tuos in Orbis faciem dare, aut tantum de ILLVSTRISSIMA Domo Tua in publico ſentire; quantum Tibi ex magno Sanguine Decus prouenit; ingenio quidem & eloquio deficiente, ſola non niſi ſupereſſet voluntas, quæ in maximo lucro poneretur; ſi ſaltim à longe Tui Gentilitij ſplendoris venerari poſſit Maieſtatem. Circumſtat Te omnis decor gloriæ ſed maximus ille, qui ab Orbis ſacro faſtigio venit; in quo poteſtatem vices Diuinas in terris agente, ſupplici cultu admiramur.

Debet certe Tibi famam ſuam & gloriam uirtutis mercedem Domus IOANNELLIANA Tuos ante pedes prouoluta, Gloria Nominis Chriſtiani, Orbis Auguſte Protector & Paſtor INNOCENTI XI, Pater Beatiſſime. Quid non & ſpem omnem, quia Auguſtiſſimo Sanguini Tuo innexa, & veluti Naui venuſta, ſub ſereno ſydere in felicem progreſſum poſita eſt; qualem licet ante acta ſæcula ex amplitudine meritorum ſuorum habuerit ſemper; modo tamen feſtiuiorem præſentat: vtpote à Tuis Gentilitijs Auibus inſignitum. Vnde parùm eſt / à tanto temporum tractu, relicta ſumma facinora metiri, parùm præclara, virtutum decora intueri; ſola Nominis Tui adoranda Maieſtas, quod, ætates in IOANNELLIIS fabricauêre, hoc, in tanto Sanguinis Coronamento habet & præſentat. Quid ſi adoranda Tua merita, quibus orbem imples, pro docore tantæ Proſapiæ, profundiſſimus animus edicere

inten-

intenderet ! commoda tot ſentimus; quot vitæ Tuæ beatiſſimæ ſpiritus, tot tutelas & protectiones; quot ſanctas actiones, quibus dicere ſi licet, ponere ſi iubes, & ſi renuis, ſcit quod Orbis debeat, vt Tui Nomini, hoc profundiſſimo cultu encomiaſticum eloquatur.

INNOCENTIVS XI.
Chriſtianorum Paſtor & Pater,
Orbis Atlas,
Petra, à qua mille Chriſtianorū propugnacula pendent inconcuſſa.
Solicitudine animarum, & indefeſſo labore augendæ fidei
& Sanctæ Romanæ Eccleſiæ
Diui PETRI Vicarius, & Succeſſor,
Iuſtè peragit ea omnia munera, in quæ ſucceſſit,
juſtiùs, quod tot Regnorum Prouinciarumq; animos
contra immaniſſimum Chriſtianitatis hoſtem
ſtrictè DEO in manubias ligauerit
Nomine & vita Innocens.
Pacem, inter bella quærere, quod iuſtum eſt, inocenter propoſuit,
ad cuius optatiſſimum deſiderium,
euntibus, vt Pacem inueniant
quidquid Vaticanum habet, viaticum fecit.
Contra ferociſſimam Orientalem Hydram
ſolùm AQVILAS congregauit, & LEONES,
ad ſimiles nimirum Suis Auitis;
cum quibus, inter triumphales Laurus ſanctè proceſſit,
vt DEO & Eccleſiæ
cui tripudia fecit,
à ſpolijs hoſtium, animos & animas lucraretur:
quales habet in augendo cultu DEI
inſaciabilis.

Ad tot barbara bella, & Christiani Nominis persecutiones

Stabilis Ecclesiæ Columna

Etiam vltra Colossos magis adoranda,

quia in viam Pacis proficiscentibus Serena
etiam illos, Innocentissimo Lumine serenare cupit,
qui Christiani NominisCoronamentum nocenter profanant:
vt merito Orbis sciat & iudicet,
quidquid à Sancto est,

meritò cum INNOCENTIO vita & solicitudine esse innocens.

Summus hic tantæ Maiestatis splendor in tot meritorum radijs serenus, si Orbem totum in gaudia clarissimis virtutibus illustrauit & illustrat; quid non Domum hanc, cui genuinus est, serenat gloriâ suà, & tanta adhuc Principis luce commendabit in spes lætiores?. Pridem IOANNELLIANA decora, amplissimâ orbis æstimatione appretiata sunt; eo quod à longo seculorum tractu, summum gloriæ culmen tenuerint; ita enim ne deficerent in eminentissimo honorum gradu, prioribus incitata exemplis succedere voluerunt. Nam si seriem prærequirat dignitatum successio. ab altis venêre, alta molimina, magna Heroum Nomina, & per summa gloriæ euecta fastigia ab Augustissimis Sac: R. I. AQVILIS hucusq; ad sydera feruntur; quia semper Imperatorijs Maiestatibus, fidelitatem constantiæ veluti AQVILæ velocissimimis alis, candido obsequio obsequebantur. Viuunt seculis magni animi, magna Domus huius decora, pulchris Antecessorum Tuorum insignibus per tot terrarum partes æstimata, quando comissas sæpe curas, plurimis occasionibus concreditas grauissimas inter rerum causas; quando commendata sæpe negotia, etiam inter periculosos, & volubiles fatorum casus; constantem in Cæsares fidem, intemerato zelo, spectatissimè & peregerunt, & notauerunt. Solicitudo hæc ab antiquissimis adhuc prosapijs, per amplissima, rectæ vitæ fastigia in Antiquissima LONGOBARDORVM prosapia, semper miro labore perfecta est, vltra vt in itinere æuum pertingeret; in IOANNELLIOS sanguinis sui Successores, cedere voluit & incepit.

pit. Quanta laborum curarumuè continuatio! novus verò & ardentior zelus, nouo ſuorum incitamento, ſeculum illud in ſuos coëgit exemplares labores; vt viſis his, plurimi animarentur, vnico inſtinctu DEVM & Cæſarem conſtanti zelo proſequendi. Dux plurimorum animorum labor iſte & anteſignanus, in hoc ſuæ inceptæ ſolicitudinis rigore, tantùm cum cæterorum inuidia & torpenti in Patriam negligentiâ bellauit; tantùm, cum offenſis boni publici animis certabat: vt hanc, in diligentiſſimos debiti vſus, hos in ſalutare, Reipublicæ commodum vinceret cogeretq;. Nec defuit itaq; Imperatorum Maieſtas à ſuis, à quibus,cùm & gloriam ſummant Diademmata; etiam famam partiri conſueuerunt, cùm laudantur, lucem reddunt, cùm illuceſcunt pretium,diuidunt; cùm appretiantur. Experimentum tulit & habuit BENEDICTVS olim IOANNELLI Abauus Tuus, per oras Italiæ, tàm antiquiſſima Sanguinis commendatione, quàm virtutum excellentiâ celebris, & cùm vetuſtam Anteceſſorum ſuorum operam, in publicum luculentiùs præberet, celebrior, quia à FERDINANDO I. Romanorum Imperatore, relictis optimis, uirtutum & meritorū ſignis, ſignatiorem, Inſignium tulit dignitatem; eandemq; in velociſſima AQVILA, Gentilitiæ NAVI ſuæ ſociata, tanquam ſublimi virtutis ſuæ pretio; & Binis GEMELLIS, vno tanquam in peruetuſta familia ſemper Iuuene pro Patria labore; altero, veluti in ſe & ſuis Succeſſoribus, recenti ſemper in Rempublicam gloriæ ſtimulatore hæreditauit. Succedit Herculi Theſeus, Cato Alter & Cigneæ ætatis SYLVESTER olim IOANNELLI Sac: Cæſareæ Regiæq; Maieſtatis Conſiliarius ProAvus Tuus, ſeculi illius Gēma, cuius pretium & æſtimatio fuit, ſummus prudentiæ vigor, humanitatis gratia, Eloquentiæ ſuauitas, morum Comitas, augendi dexteritas, ſumma æquitas, frons boni rectiq;; quæ omnia Auguſtiſſimis Imperatoribus MATHIÆ, RVDOLPHO, FERDINANDO II. æſtimata fuêre; vt etiam inter grauiſſima negotia, ſummo rerum agendarum pro Patria labore, maximam orbis Principum Maieſtatem delectarent. Toties ampliſſimis honoribus Domus hæc in continuo ſùmmorum virorum ornata ſucceſſu, veluti in Fabijs Patriæ, plus quàm ſexcentorum numero famoſioribus,quatuor ſeculorum Horatijs, tot Muttijs Coclitibus, ad

hanc temporum felicitatem prouecta, & seculis duratura omnem famam præoccupauit, præoccupatamq; vel inter Gradiui ferreos labores, vel aurea Pacis fœdera, in suis Successoribus hæreditariam reddidit & probauit. Fluctuabant sæpius priuatim degeneres, & in publicum exitiosi animi, qui nihil spei nisi discordiam, & fluctuantē hæretici erroris tempestatē intulerunt, illáq; Rempub. impellere, stabilem rerum conditionem ventilare, firmatam legibus præstantissimis, publicam salutem euertere conabantur; hos moderari oportuit attrahere, capere recalcitrantes, conciliare infestos, cohibere tumultuantes, impetus ratione frangere? Suppeditauit necessitas IOANNELLIOS! qui inter has decumanas negotiorum procellas, dirigebant publicum bonum ad littora tranquillitatis: vt omnes incredibilem, in modum visam depredicarent æquitatem, & dexteritatem. Missis sexcentis alijs, recentioris æui nostri illud grande spectaculum, salutare Patriæ subsidiū Rara Auis ILLVSTRISSIMVS olim Dominus IOANNES ANDREAS IOANNELLI, Baro de Teluana, Comes in Carpengo & Morengo Ciuitatum Montanarum Camergrauius, Augustissimi LEOPOLDI I. Imperatoris ærarium, Patriæ Achilles, non tantum quod veluti Maiæ Nepos cœlo delapsus, paciferas oleas protendens, discordes sæpe animos ad vnionem ligauerit, sæpe vagabundas ciuium mentes leniter ad rectam viam duxerit, impetuosos virium insultus, temperato iudicio euerterit & fregerit; sed quod immenso virtutum labore omne suum tempus eo duxerit, vt DEO & Patriæ prodesset, sæculis memorandus. Quid BENEDICTVS Comes IOANNELLI non in mutis saxorum præconijs, sed hominum affectibus, nationumq; linguis adhuc loquens, quod Auritus ille etiam manibus Heros, eos iuverit, quos sola necessitatis visio commendauit; eos promouerit, quos virtutis calcar stimulârat: Nam vt Gentilitium suum Insigne, sursum erectū meritis prædicauit; ita animos humiles, egestate pressos humi iacere noluit; quin non attoleret. Duo illa Luminaria splendent lucidissimè, in reliqua hæc sua Sobole? in ILLVSTRISSIMO D. Comite & Barone CAROLO VINCENTIO IOANNELLI, Cremēsi Gubernatore,&c prudentiæ regula exacta, gratiosæ frōtis supercilium, vultûs amœnitas, rerum agendarum admiranda dexteritas,

ritas,

ritas, tersissima linguæ & eloquij suauitas, cætera animi facultas, in fulgentissimæ stirpis claritudinem lucet; vt etiam plurimæ IOANNELLIANÆ AQVILÆ Phœbum veluti intueantur ad imitationem; quam, in virtutum suarum pulcherrimis radijs explicat, contra horridas inuidiæ tenebras clarissimam. In Illvstrissimis Comitibus & Baronibus, IOANNE BENEDICTO pietas in DEVM, amor in proximum, fax splendidissima; in IOANNE PAVLO inexplicabilis Naturæ oraculum, Flos veluti Prosapiæ odoriferus, qui cùm olet, fragrat ad gloriam, quorum reliqua factorum amplitudo, augusta veluti Phœnix, luce clarissima magnorum scilicet nominum immortalitatem in splendoribus occupabit; habebitq; à summis quibusdam ingenijs debitam adoream, quam iam plurimæ eruditæ mentes acuunt ad veneratione͂. Quid & PETRVS IOANNELLI I. V. Doctor, vitæ probitate & excellentiâ celebris, cuius consilia clarissima etiam ipsa fortuna veluti legis infalibilem terminum acceptat. Splendent & aliæ Celsissimæ Prosapiæ, IOANNELLIANO SANGVINI carissimæ. Excellentissimorum Morozinorvm Pompeiana fastigia, in Generalissimo Exercituum, gloriosæ Reipub. Venetæ, bello maxima Nomina; in Legationibus exteris aureæ facundiæ, & alia Celsissima gloriæ Culmina, quæ in copiosissimis Annalium paginis veluti in immortalibus rerum gestarum monumentis ad perennem memoriam sunt, & erunt consignata. Etiam à Sarmatiæ decoribus AQVILÆ Tuæ, sydera merentur, & gloriam ipsam sibi in perennitatis Censum trahunt obligantq;, quando non tantùm Celsissimos volatus in maximis Familijs, at etiam in Gentilitijs inuenerunt Anchoris, quibus ILLVSTRISSIMA CATHARINA IOANNELLI Parens Tua, zelo DEI ardentissima, in Cæsarem fidelitate constans, munere, in egenos, virtute quauis excellentissima, in prosperum falicitatis iter Navim Tuam, eduxit & firmauit; vt etiam ad gloriam omni ætate seruandam Aqvilæ à Navibvs prouocarentur.

Ad hæc Gloriæ fastigiata decora, alta molimina cedit Tuo Nomini præcelso Heroum Sanguine gloriosus, & inter firmissimas TRABES Patriæ Trabeatus GRYPHVS Tuus SPONSA ILLVSTRISSIMA: Coronamentum hoc, quod habet, pridem in

 sublimi

ſublimi Proſapia Tua coronatus, Tuæ fert pulchritudini, virtutum elegantiæ, Tuæ roſeæ mentis gratiæ, quâ AQVILAS ad amoris Tui Vinculum inuitaſti, & ad tanti Sanguinis vnionem, commendatione Nominis Tui vocaſti. Quid non & aliorum ſtuporem in Tui venerationem, veluti vectigal quoddam Tuum traxiſti? quod Maiorum Tuorum omnium ſplendoribus ſis decorata imago. cùm enim eniteat ex frontis Tuæ ſupercilio, mentis generoſæ delicatus candor, ex ore alba lilia, viſu nitor gemmeus, vultu omnis lætitiæ ſymmetria? omnium habes animos intentiſſimos; vt Te ceu vnam ex Gratijs, in venuſtiſſimo Proſapiæ Tuæ Parnaſſo liceat intueri: Aliud enim quid inquam augurari Tibi contigit, niſi quàm vt & ipſæ AQVILÆ, Tuam præſentiam, Virginei pudoris apicem, dotem ſuaueuolentiæ, formam & animi pulchritudinem, qualem ab AnteceſſorumTuorum fama præoccupaſti, æſtimarent. Splendet & amplitudo meritorum, Celſiſſimæ PALACZAYANÆ Proſapiæ, cuius decor iſte maximus eſt, qui à tanti Sanguinis dignitate in celſiſſimo gloriæ culmine emicat, & GRYPHVM Auitum, pro DEO & Patria vigilem, contra denſos hoſtium impetus illuſtrat; non tantùm, vt generoſa ſplendoris oppoſitione multas fatorum tenebras reuertat; ſed etiam vt pro ſanguine ſuo, clariſſimos habeat Oratores. Si vero dignitates, quas geſſerunt, negotia, quæ perfecerunt, loquerentur: ſemper loquens ſæculorum memoria, in ipſa Aſtra, ferret incimentum laudis, annoſq; ſæculorum ſuſceptis pro Patria laboribus, ſibi vectigales, in encomia redderet & obligaret. Expertæ toties indigentum neceſſitates, nouos Triptolemos, beficentiam largè lateq; ſpargentes, coluerunt in PALOCZAYANIS Nominibus, amicitiæ recluſa beneuolentiæ ſacraria, nullis temporibus obſerata; curæ & ſolicitudines ambigentium, certiſſima oracula; neceſſitas fortunæ augmenta quæ omnia PALOCZAIANVM Sanguinem, ad omnem humanitatem compoſitum, ad omnem fauorem inclinatum, ad ſingularem gratiæ experientiam, probatum, Patriæ veluti Decus quoddam, omnium virtutum facibus fulgentiſſimum reddiderunt. Præeminentia KAROLYANA huic tantæ Proſapiæ, etiam ad cœli faſtigia, in Ternis PETRIS Gentilitijs gloriam præſentat ſplendidiſſimam, In ILLVSTRISSIMIS Comitibus, MICHAELE olim KAROLY Patriæ aureæ pretio-

ſo Ada-

ſo Adamante, ferreos etiam animos ad ſe trahente, ADAMO KAROLY hyacintho ſuperum læticiæ nitores præſentante, LADISLAO KAROLY Comite, Sakmarien: Præſidij Vice-Colonello, Carbunculo, ob Conſtantem animi magnitudinem, DEI zelum ardentiſſimum, Patriæ promotionem Sac: Cæſareæ Regiæque Maieſtati, æſtimato, Tauricæ & Scithicæ potentiæ formidando, barbaræ imanitati tremendo. Spectant ad hæc ſplendida faſtigia, fulgentiſſimæ Infulæ Epiſcopales, ſummo in virtutum vertice auſpicatæ; ESTHERHAZIANA magnificentia, CZAKIANA antiquiſſimæ adhuc ex ſeptem Hungariæ Ducibus Tauricana Capita repræſentans magnitudo; Inclinant ſe & alia Decora ab ipſis ſæculis ſplendidiſſima, Illuſtriſſimorum Comitum, Baronum, Magnatũq; Nomina ERDEODIORVM, BARKOCZYORVM, CZOMBORIORVM, & ſexcenta alia Regni Hungariæ ſublimia & excellentiſſima Culmina, Heroum ampliſsima ſeries indefeſſa ſemper ſolicitudine gloriæ copioſa. Effulget & enitet firma, perpetuaq; poſſeſſione virtutum meritorumq; tanta Hæreditas, nec capi poteſt termino; quin non perpetuâ factorum gloriâ terminetur. Pugnent ſanè & militent aliorum pro Patria enſes, teneant frangantq; hoſtiles impetus, ferrei thoraces, & quidquid Martius ordo habet in armorum viriumq; regula, pro communi ſalute quaſcunq; vigilias agat, armare certè tueriq; poteſt vnicus PALOCZAYANI Sanguinis GRYPHVS tantâ Heroum fortitudine coronatus. A Tuæ vero gratiæ hæc magna Nomina, & gloriæ ſumma excellentia præſentatur ILLVSTRISSIMA Domina Comitiſſa IVDITHA KAROLY, Lectiſſimæ Sponſæ Parens cariſſima, à Tuæ inquam lætitiæ, quam ex hoc Auium Vinculo, pennata fama excitauit, & in Tui CORDIS delicium cum ſolenni animorum plauſu introduxit; à Tuo ſolatio, quod tantæ Sanguinis doti, æſtimationem inueneris. Et perniciſſimas etiam Aquilas, in Tua faſtigia ad NISVM Auiti ſanguinis acceperis, cui, cùm appareât in triplici Vertice pro decore; ſumma prudentia, morum ſuauitas, in omnes effuſa humanitas prudentia, tollerantia, reliqua virtutum Tuarum & meritorum amplitudo; etiam AQVILIS perennem gloriam in ſummo ſpei Culmine & honorum facies præſentari.


Coronamento ergo, huius tantæ Vnitæ proſapiæ, tot auguſtis

 vtriuſq;

vtriusq; sanguinis Antecessorum manibus nexo, sola restabat SPONSA Magni animi Tui & Cordis Corona SPONSE ILLVSTRISSIME. Parùm nimirum Tibi videbatur longo censeri sanguine, stantes in curribus Æmilianos recensere, si Cor Tuum viuidum in alta molimina, sola vitæ necessitate detineretur, parùm Tibi esse dijudicasti; si AQVILAM Tuam solam, in stadium gloriæ fatigares. Parùm vidisti, si Tuas actiones, socius non iuuaret amor. Pulchum licet equidem honorari est; amari autem suauissimum! vnum ex Antecessoribus Tuis hæreditate accepisti; alterum vt haberes, solicitudo Tuum coëgit animum, ne reliquo scilicet vitæ tædio, sine socio, absq; solatio, Tua viuendi desideria præse ferres. Certasti cogitationibus anxijs, etiam sublimia inuenisti nomina & Alis expansis in speciosissimam vitæ coronam GRYPHVM accepisti. Iungite ergo amoris Vincula nullis seculis peremptura, è millibus electæ AVES, quæ omnium corda, vota, & desideria imò ipsa Fortuna ligauit. Viuite electa decora in splendore fulgentissimo & in vlteriorem spem lætitiæ, habere ipsam gaudiorum prosperitatem, felicissimis successibus semper floridam, semper conubio Vestro iucundam, quam ipsa Gloria, in his Epithalamicis plausibus prosperrimè fauentibus cœli superis, à Gentilitijs Insignibus Vestris perennem auspicatur.






Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
06956

Lect. 1. Noct. *de* ...
fer. *Duæ Miss.* C. ...
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg. Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. ... ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. (*fuit 12. huius*) 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. (*fuit 16. Maÿ*) ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia*, Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. ... com. Dom. & sequ.

7 ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. (*fuit 18. Maÿ*) CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. (*fuit 25. Maÿ.*) CA.) CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ Magd. de Paz. Virg. semid. ... 25. *Maÿ*) ... CA. Vesp. à Cap. ...

20. SS. Mart. ...